



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Gerardus Ep. M. 24. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

salutiferam manum porrigeret, medici, quibus, quod nullam jam lucelli spem viderent, oculi scilicet dolebant, in virginem infames adolescentulos armarunt. Hos lenones cum fugeret, quæ nec leones fugerat, jam jam comprehendendæ finum rupes discēdens præbuit, clausæque castitati & asylon & tumulus fuit. Itaque qui pudori periclitanti non consulit, hunc ego etiam rupe duriorem dicam. Ex D. Basil. & Metaphr.

Inter omnia certamina Christianorum sola sunt dura pralia castitatis; ubi quotidiana est pugna, & rara victoria: gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur. S. Aug. l. de Hon. mul.

S. GERARDUS EP. M. 24. Septembris.

Enuere Venetiæ GERARDVM magno suo honori, maj. i Ungariæ bono. Nam per hanc illi dum iter est ad sacras Solymæ terras, hospitem intercepit Rex D. Stephanus, & detentum amicā vigenti Episcopum dedit. Nihil illi post Christi honorem prius, quam Matris hujus cultus, quem toto regno magnâ animi sui voluptate, fructu hominum quam maximo, disseminavit. Pietatis in MARIAM illud argumentum esto, quod ante ejus aram numquam non binos ministros excubare voluit, qui thuris odore eam honorarent, & fumo tam pio proderent, quibus Virginem castissimè ardebat, ignes sanctissimos. Adhæc nemo unus fuit, qui ab offenso veniam non exorasset, simul interposito Patronæ MARIAE nomine orasset: ut jam nominis hujus characteres totidem calculos candidos dixisses, quibus omnes apud illum rei absolverentur. Jam ut corpus in virtutis

palæstrâ exerceret, noctu silvas & ex silvis ligna petebat, leprosis interim in lectulo Episcopi vicem dormientibus. Hostibus, qui regi Petro regnum, quod Stephanus suâ morte illi in manus tradiderat, vi eripuerant, malam mortem, sibi optimam vaticinatus est & sanguine comparandam. Et verò anno M X L I I . à globo impiorum cinctus, lapidibus primò est appetitus: sed, quia innoxius hos scuto Crucis excipiebat, post currum eversum hastâ transfixus est, cùm pro parviciis suis, Christi & Stephani exemplo, è genibus perorasset. Ex Surio.

Beatus qui ab omni abhorret turpitudine peccatorum, seq̄ hostiam viventem & Domino acceptam offerat. Beatus qui semper in seipso Dei memoriam colit: erit enim totus velut Angelus cælestis in terra cum reverentia & amore sacrificans Domino. S. Ephrem in Beatitud.

B. PUER CONSTANTINOPOLITANUS.

25. Septembris.

Quid hodie primùm miramur despere hæreticos? jam olim barbatos horum Magistros & ferulâ dignissimos ad rudem pueritiam erudiendos cælum ablegavit. Ita Petro Fulloni, qui Eutychetis œstro afflatus unicam tantum in Christo naturam, adeoque mortalem D E V M somnabat, doctorem puerum multò antè providit. Nam cùm sub Theodosii Junioris tempora terræ motu totus orbis, sed Constantinopolis potissimum, v i. ipsos menses laboraret, præter nobilissima urbis ædificia tectaque & sacra & profana dejecta, animi insuper omnium ita sunt conseruati, ut cum ipso Imp. suo urbs urbem desereret, campos que